

In debita
observantia
testificationem
metris hisce diem
sexagesimum
quintum...

Tammelin, Nicolaus
Laurentii,

1700-1829 81 Cbza Fo1.



National Library
of Sweden

In debita observantia testificationem
metris hisce

Diem Sexagesimum quintum

NOMINI

ILLUSTRIS atque NOBILISSIMI VIRI

**D_N. ANDREÆ
MUNSTERHIELM**

Supremi Dicafterii Aboensis

Vice PRÆSIDIS longe Consultissimi

In Fastis dicatum consecratumque
humillime

Celebrare debuit, non ut voluit, sed ut
potuit

NICOLAUS L. TAMMELIN

Mag. Philos.

Anno MDCCXXXIII. die ANDREÆ

ABOÆ, Excud. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typogr.



D. ANDREAE
MUNSTERIENSIS

Sacrum Theologiae
Vice Praecepti
In sacra theologiae
Catholicae doctrinae
perit

NICOLAUS I. TAMMELIN

Anno MDCCXXIII. de ANDREAE

ABOE, Excus. Joh. Kämpfe Reg. Acad. Typogr.



Aurea Saturno florebant secula Rege
Per Latium, quum sponte sua gens omnis
amabat

Justitiam, rectique vias sine lege secabat,
Plusque boni mores quam ferrea jura valebant.
Post ubi versa retro fors rerum ac decolor ætas
Extulit orbe caput: pudor & vetus ille recessit
Relligionis honos, vitiisque infensa nefandis
Ultima mortales coetus Astræa reliquit.
Hac sine nulla diu, quamvis immensa potestas
Stare valet, sed mole sua convulsa fatiscit.
Ergo atrox miseris, & lamentabile fatum
Gentibus instabat: sed vota precesque piorum
Excivere Deam superis a sedibus, ut se
Contingi rursus pateretur lumine solis,
Ne tristi exitio mortalia secla perirent.
Hinc prope par divis honor, & fama inclyta clarat
Insignes probitate viros, qui foedere legum,
Justitiæque jugo mentes frenare superbas
Aggressi, ritusque feros formare per artem.
His a principiis coeperunt mutua cives
Officia amplecti; cognatas jungere vires,
Ædificare domos, circumdare moenibus urbes,
Exuere agrestes animos, mansvescere sensim
Cultibus ingenuis, placidumque assumere morem,
Fas & jura sequi, sanctumque horrere senatum,
Ut quos non virtutis amor, vel gloria famæ
Fingeret ad rectum, leges peccare vetarent,
Pœnarumque metus. Sic nil molitur in audax
Improbilas, tutaque boni sub pace virescunt.
Aequius ergo nihil toto celebratur in orbe,
Quam Themis, & Sacræ Themidos qui jura verenda
Custodiunt, pariterque regunt moderamina legum.

Hos

Hos ut concessos præclaro munere cœli
Agnoscent omnes, venerataque thure vetustas,
Annus assuetum quoties natalis honorem
Exegit; sic prona Deos cœlumque precata
Pro magnis æqui Myrtis felicia vovit,
Et faciunt hodieque boni pia vota feruntque,
Nec documenta rei procul absunt. Ecce decentes,
Justitiæ nostro Statori justus honores
Quisque refert merito, generosaque nomina gratus
Nunc colit in fastis *ILLUSTRIS MUNSTERHIELMI*,
Et votis longa serie sint fausta precatur.
Me quoque, quod monuit pulso mœrore Thalia,
Communes stimulant crepitantùm plausus, ut illis
Votivas addam voces: ut luce serena
Sæpe dies eat ille meo redeatque Patrono,
Candidior nobis splendore & amantior auro.
Annuat Omnipotens ipsi quodcunque rogabit!
Sic felix maneat: sic sint dulcissima menti
Gaudia, temperies membris optata vigorque;
Et cum fata diem claudent, transvectus Olympo
Præmia Sanctorum capiat promissa laborum,
Sic optant animo plures, ex pluribus unus
Sic ego pro meritis observantissimus opto!!!

